



**D. DIONYSII // A RICKEL CARTHVSIANI, // de perfecto
mundi contemptu, // ut pius ita utilissimus heptalo- // gus**

Dionysius <der Kartäuser>

Coloniae, Nov. 1530

De iugi atque sollicita custodia cordis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55472)

Consilium
spūalis, pfe-
ctus opti-
mū

ab hoc vno, quod necessarium est, elongatam
intelligit, aut distrahi sentit: intime doleat, pro-
tinusq; ad ipsum recurrat, et pro viribus in iplo
stabiliri festinet: atq; in hoc sancto labore, vni-
uersum vitæ huius tempus deducat. Quoniam
quo in hac re vehemētius proficit, eo melior est,
perfectior, & futuræ felicitati propinquior. Itaq;
quotiescunq; nos passio aliqua turbat, quoties
ira inflammat, inuidia torquet, impatiētia agit-
tat, superbia effert, gula obnubilat, accidia de-
primit: pensemus & doleamus a puritate men-
tis, quæ sola necessaria est, nos elongari ac di-
strahi. Vnde ad amorem puritatis mentalis ani-
mus mox reuocandus est, & ipsius affectu mū-
diciæ, vniuersarum nebulae passionum proflus
spernendæ sunt, & extirpandæ. Præterea has im-
moderatas passiones charitati esse contrarias,
eiusq; expulsivas, palam est. Elucescit quoque,
quia contemplationes summe impediunt: & nō
solum hæ, sed & inutiles phantasia, cogitatio,
que inanes, vagæ, & viles, contemplationē vel
interrumpunt, vel auferunt. Itaq; nunquam ob-
liuioni tradenda est memoria huius vnus, sed
iugiter ad ipsum est conuertendus mentis intuitus:
ipsum siquidem est, propter quod venimus.
Et ideo semper ardens vitæ monasticæ sectator
sibimet, dicat: Ad quid venisti?

Quid im-
pediat con-
tēplationē

De iugi atq; sollicita custodia cordis

Arti. V.



gitur cum sit mundicia seu puritas
cordis, finale animæ nostræ bonum
& summa perfectio: cuius intuitu
omnia agenda, sustinendaq; sunt:
maximè desiderari debet, & pro
eius ad

eius adoptione infatigabiliter laborandum est. *Simile de cordis puritate*
 Adepra autem, tanquam preciosissimus thesaurus, diligentissime custodienda est. Sicut enim in arte medicinae sanitas omnium medicamentorum finis est, sine qua nullum medicamentum optatur, nec valet, nisi videlicet ad sanitatis reparationem proficiat: sic nullum exercitiorum nostrorum utile putandum est, si non ad mentis puritatem coadiuet. Hic ergo sit omnis noster labor, omnis diligentia, omnisque affectio: habere semper & ubique in praesentia diuinæ lucis, & in eternæ maiestatis, ac diuini vultus cuncta cernentis, conspectu cor mundum. Denique si interrogas, quomodo cor custodiendum sit, quatenus semper prout miserabili huic vitæ est possibile, in puritate consistat: respondendum, non aliter nisi omnia inferiora, quæ in nobis sunt, secundum rationis censuram utilitatemque intellectiuae partis animæ gubernent. Vbi enim secundum congruentiam superioris, non disponuntur subiecta, turbatio est: quæ paci & puritati repugnat. *Philosoph.* Quoniam ergo optimi hominis est (ut *Dionysius* ait) secundum rationem esse, refrenandi sunt sensus, & omnis sensualis affectio coercenda est: utpote ne menti distractionem inducant, neque lumen rationis obtenebrent: quod ira, & impatientia praesertim efficiunt: sed & inuidia operuerit iudicium, et superbia non sinat hominem agnoscere semetipsum. Porro ventris ingluuies accidiam & somnolentiam facit, cordisque oculum a contemplatione vehementer auertit. Qui cumque itaque cordis studet mundiciæ, nisi visum suum ubique, maxime autem in diuinis, custodiat: linguam quoque gubernet, aures etiam a vanis auertat rumoribus, & ab immoderamine cibi ac potus se

D. DIONY. CARTH.

tus se temperet, sciat quā frustra laborat. Præterea si hæc cuncta custodit, nec tamen interiores passiones atque affectus, vincit & reprimit: si nō discat dominari animo suo, & illos animamotus extinguere, quā puritati, dilectioni, s. & contemplationi repugnant, inuanū conatur. Ideoque circumspecta mens ea semper intra se diligēter perpendat, quā cordis mundiciā vel tollunt, siue offuscant. Dumque tale quippiā in se oriri aduertit, repente foriterque occurrat: metuens semper ne preciosissimus suus thesaurus, quod est puritas eius, auferatur ab ea. Propter cuius custodiā atque amorē, omnia aduersa equanimiter ferre oportet. Potissime autē linguæ incustodiā, mentis serenitatē cōturbat, vbertimque penitus inficit. Et quod loquax est, palam vtrique, quoniam mente vacuus sit: pro

Mens cōri
non ad de
um erigen
da est

Psalm. 59

Quid alar
in noiegra
tiam dei

cordis custodiā sollicitudinem nullam gerens, nil quoque proficiens. Insuper itaque in omni labore, omnique actu, mens ipsa vbertim, & si non cōtinue, ad creatorē erigenda est: ea dicendo, quā mentis affectū amplius igniūt, & deuotionē renouare efficacius quānt, vt est, Cor mundū crea in me de u s. Et similia, pro vt dominus dederit. Et hoc in colloquijs, in mensa, in opere exteriori semper agendum est, quatenus discat anima, assuecatque redire ad se, ne dissoluta & vaga, a proposito cadat, puritatemque amittat, et a pristina gratia atque seruire deficiat. Semper quippe vna spiritalis meditatio, atque iterna affectio, gratiam alit & roborat: & ad aliam quoque disponit. Sicque tandē generatur in anima habitus, quod facilliter delectabiliter postmodū faciet, quod paulo ante laboriose agebat. Et quia pauci sunt, quos se ira custodiunt, ideo pauci sinceri & perfecti iam sūt.

Necessa

Necesse est enim, vt omni tempore timorate se gerat, ac omni vespere consideret quem admodum diem expenderit: & in quibus se offendisse perceperit, hæc in posterum deuitet, doleat, & occasiones consimilis ruinae fugiat. Veruntamen in omnibus his non confidat homo in se, sed a diuina benignitate opem & gratiam precordialiter, perseueranterque imploret: neque in incepto virtutum studio fatigationi succumbat, neque aduersitatibus cedat: sed fortiter, fiducialiter, atque constanter laboret.

De septem meditando secundum tempora certa Art. VI.



Non sinit presentis vite status vni cogitationi semper mentem nostram insistere, neque possibile est contemplationi ac dilectioni dei iugiter sine interruptione intendere: sed voluitur atque dilabitur anima de vno in aliud. Ideoque plures ei diuinae meditationes imprimende sunt: & non solum vnum: sed omnia que ad salutem pertinet, charitatemque promouent, vel timorem inducunt, in precordijs nostris scribenda sunt, atque firmissime infigenda: quatenus dum mens ipsa ab vna cogitatione salubri auertitur, ad aliam aliquam bonam protinus conuertatur, quemadmodum secularia corda ab vna cogitatione iniqua ad aliam cadunt. Denique ex consideratione multorum, que ad salutem pertinent, amor dei amplius in animo incalescit ac stabilitur: & ob id plura memoriter atque sollicitè intuenda sunt, que ad puritatem & salutem proficiunt. Nam & vicissitudo ista cogitationum, ipsi animo propter recessum eius a diuina simplicitate & immutabilitate, naturalis est atque iucunda. Est insuper utilis, quia cito fatigatur mens ipsa, si vni

Plures diuinae meditationes statuende